



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

De oblatione Christi in cruce, & propria resignatione. 8

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

dandi vitam tuam , & in melius profi-  
ciendi. Deinde cum plena resignatione  
& integra voluntate , offer te ipsum in  
honore nominis mei , in ara cordis tui  
holocaustum perpetuum , corpus tuum  
scilicet & animam , mihi fideliter com-  
mittendo : quatenus & sic dignè me-  
rearis ad offerendum Deo sacrificium  
accedere , & Sacramentum corporis  
mei salubriter suscipere .

4 Non est enim oblatio dignior , &  
satisfactio maior pro peccatis diluen-  
dis , quā seipsum purè & integrè , cum  
oblatione corporis Christi in Missa &  
in Cōmunione Deo offerre . Si fecerit  
homo , quod in se est , & verè pœnitue-  
rit : quotienscūque provenia & gratia

*Ezec. 18* ad me accesserit , viuo ego dicit Domi-  
nus , qui nolo mortem peccatoris , sed  
ut magis cōvertatur & viuat : quoniam  
peccatorum suorum non recordabor  
amplius , sed cuncta ipsi indulta erunt ,

## C A P . V I I I .

*De oblatione Christi in cruce , & propriis  
resignatione .*

## VOX DILECTI .

*Esa. 53. 1* *Sicut ego me ipsum , expansis in*  
*¶ Heb. 9.* *Scruce manibus & nudo corpore ,*  
*pro*

pro peccatis tuis Deo Patri sponte obtuli, ita ut nihil in me remaneret, quin totum in sacrificium diuinæ placationis transiret: ita debes & tu tem <sup>et</sup> ipsum mihi voluntariè, in oblationem puram & sanctam, quotidie in Missa, cum omnibus viribus & affectibus tuis, quantò intimius vales, offerre. Quid <sup>Pross. 23</sup> magis à te requiro, quam ut te studeas mihi ex integro resignare? Quidquid præter te ipsum das, nihil curo: quia non quæro datum tuum, sed te.

2 Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis, præter me: ita nec mihi placere poterit, quicquid dederis, te nō oblato. Offer te mihi, & da te totum pro Deo, & erit accepta oblatio. Ecce, ego me totum obtuli patri pro te; dedi etiam totum corpus meum & sanguinem in cibum, ut totus tuus essem, & tu meus permaneres. Si autem in teipso sterteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter nos vnio. Igitur omnia opera tua præcedere debet, spontanea tui ipsius in manus Dei oblatio, si libertatē consequi vis & gratiam. Ideò enim tam pauci illuminati, & liberi

N 2 intus

intus efficiuntur, quia seipso ex toto  
 abnegare nesciunt. Est firma sententia  
*Luc. 14.* mea: *Nisi quis renuntiauerit omnibus,*  
*non potest meus esse discipulus. Tu*  
*ergo si optas meus esse discipulus, offer*  
*te ipsum mihi, cum omnibus affecti-*  
*bus tuis.*

## CAP. IX.

*Quod nos, & omnia nostra, Deo debemus  
 offerre, & pro omnibus orare.*

## VOX DISCIPULI.

*Psal. 23.* **D**omine, omnia tua sunt, quæ in  
 cælo sunt, & quæ in terra. Desi-  
 dero meipsum tibi in spontaneā obla-  
 tionem offerre, & tuus perpetuò per-  
 manere. Domine, in simplicitate cor-  
 dis mei, offero meipsum tibi hodie in  
 seruum sempiternum, in obsequium  
 & in sacrificiū laudis perpetuæ. Susci-  
 pe me, cum hac sancta oblatione tui  
 pretiosi corporis, quam tibi hodie in  
 presentia Angelorum, inuisibiliter assi-  
 stentium, offero: ut sit pro me, & pro  
 cuncto populo tuo in salutem.

2 Domine, offero tibi omnia peccata  
 & delicta mea, quæ commisi coram  
 te, & sanctis Angelis tuis, à die quo pri-  
 um